

HEINRICI PANTALEONIS DE VIRIS
GEORGIVS SIMLERVS VVIMPINENSIS.



Georgius Vuimpinensis à pueris bonis literis
Operam dedit, atq; Iohanne Reuchlino præ-
ceptore usus artium fundamenta feliciter iecit. In
primis autem Græcæ linguæ diligenter incubuit,
atq; eius preclaram notitiam sibi comparauit. Scri-
psit is commentarium non indoctum in Comœ-
diam Reuchlini, quæ Sergius uel Capitis caput in-
scribitur, atq; anno 1508 Pforç edidit. deinde quo-
que obseruationes de arte Grammatica. Item de li-
teris Græcis & diphthongis, quemadmodū ad nos
ueniant, cum multis alijs huiusmodi. Hac ratione
cum Simlerus pergeret, omnibus doctis passim in-
notuit, atq; ob præclaram (pro eius temporis ratio-
ne) eruditionem cunctis bonis gratissimus fuit. Con. Lycost. in Biblioth.